



Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibus Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt IX. Rursum de cognitione Dei per negationem, ac de gradibus quibus ascendendum sit ad divinam caliginem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

part. 2.
Theolog.
mystic.
tract. 1.
art. 3.

ve. mus. Unde rectè dixit Damascenus lib. 1. cap. 4. Cum DEVS nobis incomprehensibilis, hoc solum de eo comprehendimus, quod incomprehensibilis sit. quasi dicat, Ipsam negationem propriissime concipimus, & illam Deo attribuiamus. In propositione verò affirmativa, licet affirmatio vera sit, id tamen quod de Deo affirmamus, non distinctè & adæquatè cognoscimus, sed confusè, & veluti in communis, nempe hoc ipso, quod aliquid concipimus in DEO multò melius & excellentius, quàm sit illud quod eodem vocabulo significare solemus esse in creatura. Cum enim dicimus, DEUS est sapiens, non concipimus distinctè & adæquatè sapientiam illam quia Deus sapiens est; sed confusè, hoc ipso videlicet quod concipimus quamdam esse in DEO perfectionem, respondentem sapientie, quam tribuimus creaturæ intellectuali, quæ est infinite perfectior. Quod si ulterius de hoc & aliis divinis attributis velimus affirmativum conceptum formare, statim occurrit nobis conceptus conveniens perfectioni creaturæ, quæ eodem vocabulo solet significari, quem proinde conceptum removere debemus.

Quod intelligens D. Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 1. eleganter dixit: Intelligamus DEUM, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine intelligentia Creatorem, sine situ presentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla mutatione sui, mutabilia omnia facientem. Hæc Augustinus. Quæ omnia attributa alio modo clariori & manifestiori significari solent, cum dicimus DEUM non esse substantiam, sed super-substantiam; non bonitatem, sed superbonitatem; non sapientiam, sed supersapientiam. Qui modus cognoscendi DEUM dicitur per excessum, sive eminentiam: quæ etiam reducitur ad affirmativam cognitionem.

CAPUT IX.

Rursum de cognitione DEI per negationem,
ac de gradibus quibus ascendendum
sit ad divinam caliginem.

Legendi
de his
Autho-
res supra
laudati
locum.

PRÆCLARE inter alios Doctores Picus Mirandulanus lib. de ente & uno cap. 5. paulò post principium, agens qua ratione multa de Deo à Peripateticis ascribantur, quæ de eo negant Platonici, eam cognitionem quæ de Deo est per negationem, ac quæ atque gradus ascendendi ad caliginem, quam DEUS inhabitat, apte explicat dicens: DEVS omnia est, & eminentissime atque perfectissime est omnia. Quod non erit, nisi in se ita claudat omnium perfectiones, ut quidquid ad imperfectionem spectat in rebus, à se rejiciat. Possumus autem quidquid imperfecti rationem habet in his quæ sunt, duplici capite definire: alterum est, cum quid in re est, quod in genere illius rei minus perfectum est; alterum, cum perfectum quidem in suo genere est, sed idè non simpliciter perfectum, quoniam unius tantum generis perfectionem habet: & multa sunt extra ipsum genera suis perfectionibus honestata, quæ in illo includuntur. Exemplum primi. Cognitionis sensuæ, non idè solum imperfecta est, quia cognitio tantum est, & non est appetitio; sed quia & imperfecta cognitio est: tum quia organo eget bruto & corporali, tum quia extrema solum attingit rerum; ad intima, id est, ad substantiam, non pervadit. Cognitionis item humana quæ rationalis dici-

tur, imperfecta cognitio est, quia vaga, incerta, mobilis, laboriosa. Adde intellectualem cognitionem mentium divinarum, quæ Theologi vocant Angelos, & ipsa etiam imperfecta cognitio est: vel ob id saltem quod extra se querit quod intra se scilicet plenè non possidet, hoc est veritatis lucem, quæ eget, & quæ perficitur.

Accipe vitam. Vita ea quæ est in plantis, immò quæ in omni corpore est, non idè solum imperfecta, quia vita tantum est, & non cognitio; sed quia non pura vita: ponitur autem vivificatio quædam ab anima in corpus derivata semper fluens, semper morti admixta, magis denique mors vocanda quàm vita. Incipimus enim, si forte necis, tunc mori, cum primum incipimus vivere; & mors cum vita protenditur; tuncque primum desinimus mori, cum à corpore mortis hujus per carnis mortem absolvimur. Sed nec perfecta vita est Angelorum: quam nisi peregrinaretur vivificus radius divinæ lucis foveret, in nihilum tota dissolveretur. Eadem ratio in ceteris. Cum ergo Deum cognoscere, DEUM vivere facis, illud primum attende, ut vita & cognitio, quæ illi adscribitur, his omnibus detrimentis libera intelligatur. Sed non hoc facis: restat enim altera imperfectio, cujus exemplum hoc.

Concipe vitam perfectissimam, quæ scilicet tota sit vita, & pura vita, nihil habens mortale, nihil mortis admixtum, quæ nullo eget extra se, per quod dureret stabilis & permanere. Concipe item cognitionem, quæ & omnia & simul perfectissime cognoscantur. Adjice & hoc, cognoscere scilicet in se hæc omnia cognoscere, ut non extra se querat veritatem quam cognoscit, sed ipse ipsa sit veritas: adhuc horum utrumque, quæquam suo in genere perfectissimum, & tale ut extra DEUM esse non possit, sic tamen acceptum, & ab invicem distinctum, DEO indignum est. DEUS enim omnimoda & infinita perfectio est: sed non idè tam omnimoda & infinita, quia omnes particulares perfectiones atque infinitas tales in se comprehendat; tunc enim neque ipse esset simplicissimus, neque infinita essent quæ in eo sunt, sed esset unum infinitum ex multis infinitis, omne o finitis autem, perfectione collectum: quod aut dicere aut cogitare de DEO, profanum est.

At verò si vita, quæ perfectissima quidem vita est, sed vita est tantum & non est cognitio; itemque si appetitio sive voluntas perfectissima quidem voluntas, sed voluntas tantum & non vita neque cognitio est, similiaque alia in DEO collocantur: manifestè futurum est, ut divina vita finitæ sit perfectionis; quoniam eam habet perfectionem quæ vitæ est, non habere eam quæ cognitionis, quæ appetentia. Tollamus ergo à vita non id solum quod eam imperfectam vitam facit, sed quod facit eam vitam tantum, & à cognitione, similiter aliis nominibus, quibus DEUM appellamus: tuncque quod ex omnibus remanebit, necessarîo tale erit quale Deum intelligi volumus, unum scilicet perfectissimum, infinitum, simplicissimum. Et quoniam vita quoddam ens est, sapientia item ens quoddam pariterque & iustitia, utique si particularitatis & terminationum conditionem his adimamus, quod supererit, non hoc aut illud ens erit, sed ipsum ens, sed simpliciter ens, sed universale ens, non prædicationis universalitatis, sed perfectionis.

Similiter sapientia bonum quoddam est, quia hoc scilicet bonum quod est sapientia, & non est illud bonum quod est iustitia. Tolle, ut inquit

Augustinus, hoc, tolle illud, id est particularitatem hanc; tolle limitationem per quam sapientia ita est bonum quod est sapientia, quod non est bonum quod iustitia est, pariterque iustitia sic habet iustitiae bonitatem, ut non habeat eam quae est sapientia. Tuncque in enigmate faciem DEI videbis, id est, omne bonum, ipsum bonum, simplicissimum bonum, omnis boni bonum. Ita vita sicur ens quoddam est, ita est unum quoddam: est enim perfectio una, pariterque sapientia perfectio una est. Abijce particularitatem, remanet non hoc aut illud unum, sed ipsum unum, & simpliciter unum. Cum ergo DEUS ille sit, qui, ut à principio dicebamus, ablata omnium imperfectione, omnia est: certe cum à rebus omnibus, & quae sub suo genere imperfectionem, & sui generis particularitatem abdicaveris, id quod remanet, DEUS est. DEUS ergo ipsum ens, ipsum unum, ipsum bonum, similiter & ipsum verum.

Duos jam gradus promovimus ad caliginem aecedentes quam DEUS inhabitat, à divinis nominibus omnia purgantes maculam, quae ex rebus est significatarum imperfectione. Adhuc duo super sunt gradus, quorum alter nominum arguit deficientiam, alter nostrae intelligentiae acular infirmitatem. Haec nomina, ens, unum, verum, bonum, concretum quid dicunt, & quasi participatum.

Quare rursus dicimus DEUM super-ens, super-verum, super-unum, super-bonum esse, quia scilicet ipsum est, ipsa veritas, ipsa unitas, ipsa bonitas. Verum adhuc in luce sumus, DEUS autem posuit tenebras latibulum suum. Ad DEUM ergo perventum nondum est: donec enim quod de Deo dicimus, etiam intelligimus & comprehendimus, in luce versari dicimus: & ratio minora de Deo & loquimur & sentimus, quam infinita sua Divinitate capacitas nostrae intelligentiae minor est.

Ad quartum igitur gradum conscendentes, intremus ignorantiae lucem, & divini splendoris caliginem exoculari clamemus cum Propheta: Defeci in atriis tuis Domine; hoc unum de DEO positum dicentes, esse ipsum intelligibiliter & ineffabiliter super id omne quod nos de eo perfectissimum vel loqui possumus vel concipere: tunc super ipsam etiam quam conceperamus unitatem, bonitatem, veritatem, superque ipsum esse DEUM eminentissimè collocantes.

Huc recipiens Dionysius Arcopagita, post ea omnia quae in Symbolica Theologia, in Theologicis institutionibus, & quae de divinis nominibus, & de mystica scripturarum Theologia, postremo in calce ejusdem libri, quasi qui jam in caligine esset, & ut poterat de DEO sanctissimè loqueretur, sic post alia quaedam ad idem atriamentum exclamavit: Neque veritas est, neque regnum, neque sapientia, neque unum neque unitas, neque Deitas aut bonitas, neque spiritus est quantum ipsi scire possumus, neque Filius neque Patris est denominatio, neque aliud aliquid ex his quae nobis aut alteri cuiquam in mundo sunt cognita, neque aliquid eorum quae non sunt, neque eorum quae sunt est, neque ea quae sunt nilam scire sicut ipsa est, neque scire ipsa quae sunt sicut sunt, neque sermo ipsius est, neque nomen, neque scientia, neque tenebra, neque lux est, neque error, neque veritas, neque est ipsius omnino ulla positio, neque ablatio. Haec Mundulianus.

Et paulo post: Sed vide, mi Angele, quae nos infania teneat. Amare DEUM, dum sumus in corpore, plus possumus quam vel eloqui vel cognoscere. Amando plus nobis proficimus, minus laboramus, illi magis obsequimur. Malumus tamen semper quaerendo per cognitionem nonquam invenire quod quaerimus, quam amando possidere. Demum circa finem capituli: Ex quibus colligi illud potest, non solum esse DEUM, ut dicit Anselmus, quo nihil majus cogitari potest; sed id esse quod infinitè majus est omni eo quod potest ex cogitari, ut verè dixerit iuxta Hebraicam litteram David Propheta: Tibi silentium, laus.

CAPVT X.

In contemplatione sive cognitione DEI negativa sistendum esse in aliquo DEI conceptu denudato ab omni imperfectione.

CONTEMPLATIONEM perfectissimam fundatam in cognitione DEI negativa, ex dictis praecedenti Capite aperte conjicitur: nam si cognitio illa nobilior & perfectior est omnibus aliis, quae in hac vita de DEO haberi possunt; si etiam contemplationem, quae per viam negativam affurgit, esse aliis altiores. Docent etiam hoc passim Patres, & mystici Doctores, praesertim S. Bonaventura pluribus in locis, maxime Itiner. 3. distinct. 4. art. 3. ubi sic scribit: Verus contemplator est, si sursum tractus est super omnia intelligibilia in caliginem ignorantiae. Et hic gradus contemplationis est de quo loquitur Dionysius dicens: Adhuc restat principiorum DEI cognitio, quae figuratur in eo quod Moyses separatur ab his qui locum DEI secum viderant, & subtrahitur illis visis, & intrat in caliginem ignorantiae, & unius incomprehensibilitati divinae, quam non penetrat intelligentia, quae verè est omnium clarissima, & in se claudit, & secretissime celat omnes cognitiones comprehensivas tanquam in causa prima omnium, & per eam omnis unitus DEO (qui est supra omnia) constituitur in excellentia, quam neque ratio investigat, nec intellectus speculatur, & ab omnibus, & quasi à seipso segregatur, & per unionem dilectionis, quae effectiva est verae cognitionis, unius DEO intellectualiter ignoto cognitione multo meliori, quam sit cognitio intellectualis, in eo quod cognitionem intellectualem dereliquit, & super intellectum & mentem DEUM cognoscit. Haec Dionysius apud D. Bonaventuram.

Cum igitur haec sit nobilissima cognitio, in qua, ut infra dicemus, mysticae Theologiae, quae altissima est, contemplatio consistit; opera pretium erit videre, an in hac cognitione, quae per remotionem & negationem omnium fieri contingit, formetur conceptus aliquis DEI absolutus, quo DEUS intuitivè cognoscatur.

De hac re praecipue tractat Dionysius Carthusianus in lib. D. Dionysii de myst. Theolog. ubi inquit, an meos humana in visione & contemplatione mysticae Theologiae videat seu intelligat verè & objective ipsum DEUM; & si sic, an videat ipsum intuitivè, an verò abstractivè: & insuper, an habeat de DEO conceptum distinctum ac proprium, vel quidditativum, an tantum confusum seu generalem.

Hinc difficultati, positis hinc inde multis argumentationibus, quae potius ad Theologos Scholasticos quam ad Mysticos spectare videntur, Dionysius Carthusianus tribus respondet propositionibus, quas brevissimè ex ejus mente collegimus. Prima est: In cognitione DEI per negationem formatur aliquis conceptus, ita ut abstractis omnibus creatis perfectionibus, mens sitat in Dei notitia & conceptu, quo perfectissimus DEUS

Quaestio
admodum
difficilis.

Cui à
Dionys.
Carthu-
siano re-
sponde-
re cog-